

clarissimi moralistæ inuidebit nomen, qui eum in iuvandis Christianorum moribus æque ac in restituendis medica dexteritate caufariis corporibus pio fuisse occupatum zelo animadvertit. Disquisitionis illa sanguine vetat vesci Christianos, fundamentis eruditis ex antiquitate Ecclesiastica depromptis; Hæc cum ante triginta fere annos disputatione evolverem, non tantum id gratum civibus meis, & auditoribus, qui scrupulis nonnullis per lectionem eruditæ Disquisitionis Bartholinæangebantur, sed & exteris, imo & ipsi Disquisitionis celeberrimo Auctori fuit. Cum igitur Domino Respondenti huic novo Dn. *Doloviczeni*, Auditori meo quotidiano admodum Industrio, & ad solidam eruditionem vera pietatis via contendenti, argumentum hoc crederetur repetitione dignum, ejus desiderio lubens affurexi, utque fit, in nova revisione identidem quædam ingessi & mutavi. Faxit DEUS, ut omnia in honorem DEI, & consequendam fidam libertatem evehantur! Quandoquidem enim non palato aut gulæ litamus, sed libertatis adeo charæ & pretiosæ negotium defendimus, eo major est collocanda opera, ut quod vitio vertitur, id in licito versari deprehendatur.

CAP. I.

SUMMARI A.

Licite vesci Christianos sanguine probatur. I. A Diversitate & distinctione V. & N. Testamenti. Lex Noæ data quomodo obligaverit posteritatem ejus universam. II. A regula libertatis christiane, circa discrimen concedente esculenta. Non opus traditione ad regulam illam confirmandam.

Quam varius fit sanguis escarius Christianorum cupidarii & qui culinæ præ sunt coqui expediant; uti nusquam approbamus esculentorum luxum, ita nec solis deliciis inservientes apparandi sanguinis modos pro licitis habemus.